



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 196. An & qualiter lepra similisve morbus obstat indissolubilitati Matrimonii contracti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



missione matrimonii; item *ibidem* dicens; ex toto hoc tit. constare, impositum hoc impedimentum in pœnam delicti commissi, sicut est nullitas electionis ob Simoniam; idem ferè ait Sanch. l. 7. de mat. d. 5. n. 7. ubi, quòd à lege ecclesiastica impositum in pœnam delicti & ad præcavendum &c. ad eoque simul esse medicinale præservationem ad præcavendum nimirum adulterium & uxoricidium, qualiter l. 9. d. 32. n. 13. negat excommunicationem esse pœnam simul & medicinam. Sed neque opponi potest disparitas inter censuras & hoc impedimentum, quòd censura requirant contumaciam; adeoque mirum non sit, quòd non incurrantur ab ignorantibus illas annexas delicto; nam etsi incurfuro illas requirant contumaciam, ea tamen non supponit essentialiter monitionem aut comminationem pœnæ ab homine factam; siquidem fallit in censuris latæ sententiæ generaliter à jure, quibus incurrendis sufficit monitio & comminatio legis ipso facto imponentis delinquenti censuram. Sed & hæc monitio & comminatio legis præcedit etiam delictum; cui annexum impedimentum criminis; adeoque & hic est contumacia.

3. Respondent quoque satis plausibiliter hujus secundæ sententiæ AA. ad opposita fundamenta. Ad primum negando paritatem, dicunt, inhabilitatem natam ex cognatione vel affinitate non esse pœnalem; adeoque mirum non esse, quòd incurratur ab ignorante. Imò nec affinitatem, quæ est ex copula illicita, adeoque ex delicto, non reddere inhabilem pœnaliter; cum eodem modo inhabilitaret, etsi copula non conjugalis esset licita; similiter inhabilitatem ad contrahendum clandestinè inductam à Trid. non esse pœnalem; cum antece-

denter & ante omnem actum illicitum commissum ab his, qui volunt contrahere inducatur; inhabilitas autem ex crimine non afficit criminosos antecedenter ad omne illorum crimen, sed supponit delictum ab iis commissum, & quidem perfectum & consummatum. Ad secundum admittunt, quòd peccans pœnâ non cognitâ, dum sit delictum contra legem pœnalem non incurtere pœnam; quia non peccat contra legem pœnalem quâ talem. Ad tertium dicunt, quòd, si deficeret à ratione pœnæ primariò & principaliter talis ideo; quia lex inducens hoc impedimentum, id facit ad cavendum & absterrendum à machinatione mortis conjugis, omnes pœnæ, quæ infliguntur ad vindictam publicam, nimirum ad infligendum aliis terrorem, & ad præcavenda deinceps talia delicta, deficerent à ratione pœnæ primariò & principaliter intentæ; ad hæc, esto, non esset pœna principaliter spectato sine legislatoris, esse adhuc talem spectato sine legis; qui fines sæpe sunt valde diversi, ut patet in fine artis & fine artificis, præcepti & præcipientis; dum autem est pœna principaliter ex fine legis, procedere dictam regulam; pœna non incurritur ab ignorante illam. Ad postremum dicunt, non magis per hanc opinionem creari præjudicium sacris tribunalibus Romanis, quàm per opiniones negantes hic & nunc opus esse dispensatione, creatur præjudicium Pœnitentiariæ & Datariæ.

Aque ex his vides, tamen si sententia affirmans incurri hoc impedimentum ab ignorante sit communior, ut testatur Laym. l. 1. sum. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 8. etiam fortè, ut Krimer. n. 1024. cum aliquo excessu autoritatis majoris; eâ tamen non obstantè, manere sententiæ neganti suam probabilitatem; cum opposita non excedat probabilitatem.

## TITULUS VIII.

### De conjugio leproforum.

*Quest. 195. An & quale impedimentum præstat lepra matrimonio contrahendo.*

**R** Esp. primò: Neque impedimentum dirimens, neque impediens matrimonio contrahendo præstat lepra, sive uterque futurorum conjugum, sive alter eorum solus sit leprosus; nullo enim jure ab in eundo matrimonio arcentur, sed liberè id contrahere possunt, si ipsi velint, prout habet expressus textus. c. 2. h. t.

2. Resp. secundò: Ob supervenientem lepram sufficiens datur causa dissolvendi sponsalia de futuro juxta textum quoque expressum c. fin. h. t. & dicta à nobis in antecedentibus; q. 69. n. 2. uti idem cum communi dictum de aliis morbis contagiosis & infirmitatibus incurabilibus. Si tamen sanus velit ea dissolvi; non enim ipso jure hæc dissolutio inducta; ita ut, si sponsus superveniente sponsæ de futuro leprâ aliâve infirmitate, velit nihilominus inhaerere contractui sponsalicio, sponsa non possit resilire. Pirh. h. t. n. 1. cum communi; cum hæc sponsalium dissolutio inducta & permissa, non in favorem infectæ, sed in favorem solius sani, in cujus odium retorquenda non est, juxta reg. 61, in 6.

*Quest. 196. An & qualiter lepra similisve morbus obstat indissolubilitati matrimonii contracti.*

**R** Esp. primò: Indubitatum est, matrimonium consummatum copulâ carnali ob supervenientem lepram nulla potestate humana solvi posse, utpote jure divino indissolubile quò ad vinculum. Matth. 19. vers. 7. patetque ex c. 1. §. quoniam. h. t.

2. Resp. secundò: Sed neque matrimonium ratum tantum ex ea causa supervenientis lepræ, quò ad vinculum conjugale dirimitur ipso jure; cum ea vis dirimendi illud soli professioni religiosæ concessa reperiat; c. 2. §. 7. de convers. conjugat. & ita teneat AA. Sed neque his obstat textus. c. fin. h. t. ubi dicitur, quòd superveniente lepra in uno conjugum, alter ad eam accipiendam cogi non debeat, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum; cum ibi per *To consummatum*. non intelligatur consummatio, quæ fit per copulam carnalem, sed ea, quæ per consensum de præfenti præstitum perficitur & consummatum matrimonium quò ad essentiam; pro ut ad c. c. Host. in fine. Abb. n. 3. caterique interpretes; proinde, dum dicitur, superveniente leprâ sponsæ, sponsum ad eam ducendam non cogendum, patet textum illum



non loqui de matrimonio, sed de sponsalibus de futuro, ad quæ perficienda & executioni danda sanus in hoc casu non est cogendus. De cæterò posse etiam quò ad vinculum dissolvi matrimonium tantùm dispensativè à Papa, esseque lepram supervenientem sufficientem, justamque causam petendi & obtinendi hanc dispensationem, & per eam illius dissolutionem, tenent Sanch. *L. 2. de mat. d. 16. n. 5.* Perez. *de mat. d. 40. f. 7. n. 13.* & alii communis, sæpiusque hanc dispensationem factam à variis Pontificibus testantur Burges. *de irregul. p. 6. tit. de sponsal. n. 74.* aliique passim; de quo vide dicenda inferiùs ad *tit. 19. de divortis.* ubi fusè de dissolubilitate matrimonii rati.

*Quest. 197. An sanus conjugì leproso teneatur reddere debitum, eique cohabitare.*

**R** Esp. Dum Medicorùm, aliorùmque peritorum judicio superveniens matrimonio contracto, sive consummato, sive rato tantùm lepra non est tanta malignitatis, ut ex cohabitatione, aut etiam redditione debiti, periculum infectionis aliquod, aut solum leve imminet, tam ad cohabitandum exhibendumque cætera obsequia conjugalia, & in specie ad reddendum debitum astringitur conjux sanus juxta *c. 1. & 2. h. t.* Secus est, seu ad horum neutrum præstandum conjugì leproso tenetur sanus, si eodem Medicorum judicio ex utroque immineret probabile infectionis pericu-

lum; cùm prudenter præsumi nequeat, conjuges contrahendo matrimonium intendisse se obligare ad cohabitandum & reddendum in eo casu debitum, aut etiam matrimonium ipsum adstringere ad talem sui usum, qui subsistere nequit salva individi proprii incolumitate, sed manifestè vergit in destructionem illius; cùm rectus caritatis ordo tali usui obstat, exigendo, ut priùs consulatur incolumitati propriæ, quàm alienis solatiis & commodis serviat. Arg. *c. si non licet. caus. 2. q. 5. c. dilecto. de prob.* Atque ita docent Sylv. *v. debitum. q. 1.* Navar. *in man. c. 16. n. 25.* Sanch. *de mat. L. 9. d. 24. n. 2. & 17.* Bonac. *de mat. q. 4. p. 1. n. 8.* Pet. Barb. *in rub. ff. soluto mat. p. 2. n. 28.* August. Barb. *in c. quoniam. h. t.* Pirh. *h. t. n. 10.* Zacchias *qq. medico-legal. L. 7. tit. 2. q. 5. n. 1.* Wiestn. *h. t. n. 6.* qui tamen *n. 10.* bene addit, quòd à cohabitatione & debito difficiliùs liberetur sanus, qui sciens cum infecta jam leprâ contraxit matrimonium; eò quòd is sibi imputare debeat periculum infectionis, utpote cui se liberè exposuit. Item *n. 9.* quòd faciliùs absolvatur à redditione debiti, quàm ab omnimoda cohabitatione; cum majus infectionis periculum incuratur ex commercio carnali, quàm ex sola cohabitatione, à qua etiam illum ob periculum infectionis nunquam divertere posse, nisi subministratis conjugì leproso vitæ subsidiis, ait Idem. *cit. num. 9.* de qua separatione quò ad thorum vide quod dicenda infra *l. c.*

## TITULUS IX.

### De Conjugio Servorum.

*Quest. 198. Num servi invitis dominis contrahere possint matrimonium.*

**1.** **R** Esp. Primò: Servi adscriptitii, qui prædico colendo perpetuò sunt addicti, ita ut inde recedere non possint, ac insuper omnes reditus prædiorum, demptis tantùm expensis & necessario victu, dominis suis reddere debent, & quamvis ad certas operas & servitia dominis præstanda teneantur, eorùmque nati sint & dicantur originarii, validè ac licitè contrahere possunt matrimonium invitis dominis (quamvis in aliquibus locis nubere nequeant licitè alteri non originario ejusdem domini sine domini permissione seu literis quasi dimissoriis) sunt enim verè liberi, & ab actibus legitimis non repelluntur, etsi servi similitudinem aliquam habeant, Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 5. §. 1. n. 9.* Gutt. *c. 90. n. 10.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. in fine.* & nequaquam de iis agitur *h. t.* qui est de servis veris.

**2.** Resp. Secundò: Verè servi (quales sunt, qui uno ex his titulis, nempe jure belli, nativitate, justa condemnatione, emptione servi sunt, Pereyra *in elucidar. L. 2. n. 825.*) invito domino validè & licitè contrahunt matrimonium, ut expressè definitur *c. 1. h. t.* siquidem matrimonium jure naturæ ac divino concessum, tum ad propagationem generis humani, tum in remedium concupiscentiæ ad evitandas fornicationes, aliæque flagitiæ carnis, cui juri à dominis contraveniri nequit; quin & quod speciale est mancipiis christianis, servus baptizatus à Sacramentis recipiendis removendus

non est, ut dicitur *c. 1. h. t.* cum, ut *ibidem* assertur illud Apostoli: non est differentia in Christo inter servum & liberum, masculum & feminam, Judæum & Græcum. Unde etiam peccare dominum mortaliter, & ab Ecclesia, si ei subjectus est, coercendum, qui servum à matrimonio contrahendo impediret (intellige juxta dicenda paulo post) quia facit contra jus illi à natura concessum, in quo domino non subduntur, tradunt Gutt. *de mat. c. 92. n. 1.* Ponc. *L. 7. c. 42. n. 2.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 2.* Sanch. *L. 7. d. 21. à n. 5.* qui etiam addit, non posse dominum tutà conscientia punire servum, quòd se invito inierit matrimonium; cùm usus fuerit jure suo, & nihil deliquerit. Tametsi autem jus civile non potuerit abrogare jus naturale & divinum, quòd matrimonium est institutum in officium naturæ ad solis procreationem, & ad mutuam viri ac feminae societatem, ut Pirh. *l. c. num. 2. in fine.* ex Azor. *p. 2. L. 2. c. 28. q. 4.* inde tamen non sequitur, quòd irritare non potuerit matrimonia servorum contracta invitis dominis; multa enim sunt, quæ à natura conceduntur, quæ etsi per leges humanas abrogari penitus non possunt, potest tamen eorum usus, vel talis eorum usus hic & nunc inhiberi. Et sic expressè ait Castrop. *cit. §. 2. num. 1.* quòd Ecclesia potuerit irritare matrimonia servorum absque minorum consensu celebrata, sicut potuit irritare eorum in religione professionem ex eo capite, quia est in præjudicium dominorum. Sed & de facto jus civile istiusmodi matrimonia interdixit. *L. 3. c. de incest. nupt.*